consilio (sine quibus nihil ejusmodi sanciebatur) edici potuisse.

Sive igitur malus rei abusus adeò invaluit, ut tolli vix posse censeretur; quare eas leges, ægrè licèt assentientibus Episcopis, ferri oportunum est visum; sivè pro Paganis inductæ (quorum erat frequens in Imperio numerus); cum interim Christianorum res angerentur, ita reformatæ sunt, quod ad politiam pertinet, ut utrisque simul genti quadrarent; relictâ interim Episcopis authoritate, simulque necessitate, ut subjectam sibi Ecclesiam juxta Ecclesiasticas leges, receptasque apud Christianos traditiones moderarentur: Principibus interim jus tantùm ferendi leges, quas in Tribunalibus politicis Judices servarent, sibi retinentibus. Nec sanè desunt exempla in Ecclesia Græca post latas etiam ab Imperatoribus eas leges disciplinæ, ad Legislatoris Divini, atque Legis Evangelicæ præscriptum (*o*). Sed eas leges recitemus.

o Vide Chrysos. in Matt. Theophyl. Oecumcæteros

Constantinus Magnus anno 331. cavit, ne fœminæ sub conquisitis causis viris suis repudium dicere auderent; accusantes e. g. virum veluti ebriosum, aleatorem, muliercularium (*p*). Vetitum etiam viris uxorem ad arbitrium repudiare. Nefas uxoribus divortium à viris postulare, nisi fortè homicidis, veneficis, & sepulchrorum violatoribus; nefas & viris uxorem repudiare *nisi mœcham, medicamentariam, conciliatricem*. Post annos sex idem Imperator sancivit, fœminam post expectatum quatuor annis virum bellis implicitum, nulloque de illo accepto nuncio ad alias nuptias transire posse. Primam Constantini sanctionem Honorius, Theodosius Junior, & Constantius an. 421. confirmarunt. Verùm Imperatores Theodosius junior, & Valentinianus III. eà abrogatâ veterem divortii libertatem restituerunt. Hæc illi. *Imper. Theodos. & Valent. Augg. Florentio P. F. P. Consensu licita matrimonia posse contrahi, contracta nonnisi misso repudio dissolvi præcipimus. Solutionem enim matrimonii difficiliorem debere esse favor imperat liberorum. Sed in repudio culpâque divortii perquirendâ, durum est legum veterum moderamen excedere. Ideo Constitutionibus abrogatis, quæ nunc maritum, nunc mulierem, matrimonio soluto, præcipiunt pœnis gravissimis coerceri, hac constitutione repudia, culpas, culparumque coercitiones ad veteres leges, responsaque prudentum revocari censemus.*

p Placuit Constantino August. ad Ablavium Præf. Prætorio Tit. 16. de repud. Cod. Theod. mulieri non licere propter suas pravas cupiditates marito repudium mittere, exquisitâ causâ velut ebriosô, aut aleatori, aut muliercularioʒ nec verò maritis per quascumque occasiones uxores suas dimittere.

Nec diu fuit quin permissæ licentiæ malum erumperet; quare post aliquot annos, scilicet anno 449. iidem Imperatores concessæ libertati frænum imponentes (*q*) caverunt, ne fœmina viro diceret repudium, nisi adulterii causâ, sive homicidii, veneficii, criminis falsi, initæ alicujus in Imperium conjurationis, vel saltem violati sepulchri, aut rei alicujus ab Ecclesia furto sublatæ reo, sicut furum receptori, plagiario, prædoni, malæ consuetudinis cum fœminis prostitutis coram uxore sua habitæ accusato. Ita pariter si uxorem suam malè exceperit, si veneficio vel ferro, vel alia quacumque machinatione in vitam ipsius attentaverit. Paria de viro erga uxorem, paribusque de causis datâ proportione sancita sunt. Legitimo autem inducto semel divortio, novas inire nuptias post exactum divortii annum fas erat. Si fœmina illegitimo divortio à viro recessisset, tunc omni in dotem suam, & in munera ante nuptias recepta jure multabatur; tum & novas inire nuptias nonnisi post exactos quinque annos à divortio permissa.

q L. consensu 8. cum suis §. 55. cod. de repud.

Anastasius Imperator anno 497. priori sanctione Theodosii Junioris innovatâ, primam divortii libertatem asseruit, omni abrogatâ cautione, ab eodem Imperatore, secundâ constitutione inductâ. Jussit autem in divortiis mutuo partium consensu factis, fœminæ post annum novas ineundi nuptias facultatem esse. Hæc divortii disciplina ab Imperio Constantini Magni usque ad Justinianum.

Porrò Justinianus (*r*) pristinis divortii causis novam aliam adjecit, nempè si post exactum in conjugio biennium, alteruter ex conjugibus impos deprehendatur; insuper si fœmina balnea cum viris frequentarit, si abortum procurarit, si priori viro superstite sibi quæsiverit alium. Edicit autem, ut quandoquidem in rebus humanis nihil sit usque adeò firmum, quin resolvi tandem possit, ita & nuptiæ suas habeant causas quibus dissolvantur; nempè, vel mutuos partium consensus, vel *per occasionem rationabilem, quæ cum bona gratia vocatur*, vel *citra omnem causam, vel cum causa rationabili*. Restringit autem ad certas quasdam causas divortii licentiam (*s*); latasque omnes leges divortium permittentes vel citra omnem causam, vel mutuò partium consensu, ita abrogat, ut partium consensus tunc demum ad divortium valere statuat, cum alteruter ex conjugibus sivè religiosæ vitæ professionem inire, sivè castitatem vovere decreverit.

r Ann. 528. Tit. de repud. L. 10. novell. 22. cap. 3. & 18.

s Novell. 117. & 134.

Justinus Imperator Justiniani nepos (*t*), divortia *ex bona gratia*, seu mutuo partium consensu restituit; isque rerum status mansit usque ad Imperatorem Leonem Philosophum, annum circiter 900. Jesu Christi, nempè 340. annorum intercapedine. Ejus Imperatoris jussu legibus in unum corpus, quod *Basilicon* appellatum est, redactis, Justini constitutio de divortio ex mutuo partium assensu sublata est.

t An. 556. Novell. 140.

Recepta Ecclesiæ Græcæ nostrâ quidem ætate consuetudo civilibus hisce legibus consentit; quamvis non ita facile est definire, quonam potissimùm tempore cœperit disciplina adeò ab Evangelio & veterum Orientalium Patrum doctrinâ discrepans. Licèt enim nullum non moveat lapidem Arcudius (*u*), quò Ecclesiæ suæ mores defendat, atque in causæ patrocinium veteres Patres pertrahere conetur, evincit ille quidem eorum ætate divortia frequentari, non tamen probata unquam demonstrat, sed tolerata tantummodò in gratiam Imperialium sanctionum, à quibus permittebantur. Porrò si quis fortè

u De concor. Oriental. Eccles. & Occidental. l. 7. capp. 7. 8.

fè post datum semel divortium ad novas nuptias transisse deprehenderetur, is planè neque à culpa neque à crimine immunis habitus est. Sensim tamen ejus disciplinæ vigor remitti cœpit, ut tandem nihil ea divortia curarentur.

Iisdem moribus reliquæ Græcę communionis gentes, Rutheni vel Moschovitæ censentur, quorum tota admittendi divortii causa est repudii libellus ab Episcopo impetratus (*x*). Solebant etiam non multos ante annos conjuges, quibus facilis ad Episcopum aditus non fuisset, ambo simul in caput bivii sese conferre, ubi mantile quoddam ambo in diversa trahentes scindebant, qua cæremoniâ scindi conjugium rati dissociabantur. Extat tamen inter Canones Joannis cujusdam eorum Metropolitæ, quem Prophetam appellabant, sanctio, qua conjuges post divortium novis nuptiis impliciti à communione rejiciuntur. Æthiopes saltem laici, antequam à Missionariis instituerentur, divortia habebant arbitraria (*y*).

x Vide Guagnin. in descript. Sarmant. Europ.

y Vide Relat. Mission. Æthiopiæ.

Leges civiles Occidentalium variant; aliæ etenim nimio rigore, aliæ nimiâ facilitate exorbitant; ac raræ sunt prorsùs, quæ temporum & occasionum vicissitudini non servierint. Tandem Patribus Tridentinis certam quamdam omnibus Romanæ Ecclesiæ mores sequutis, disciplinam constituere visum; cum interim alterius communionis homines huc usque per arbitrariam sibi viam oberrent.

Veteres Francorum populi mutuo etiam consensu inducta divortia legitima habebant; quid divortia ex justa causâ factâ? Hujus mutui divortii formulæ extant apud Marculfum (*z*), qui circa medium septimum sæculum scribebat; ex hisce autem integrum fuisse conjugibus post divortium novum inire matrimonium intelligimus. *Placuit utriusque voluntate, ut se à consortio separare deberent; quod ita unusquisque ex ipsis sive ad servitium Dei in ministerio, aut copulæ Matrimonii sociare se velint, licentiam habeant &c.*

z Lib. 2. form. 30.

Post receptas in Regnum sub Regibus Carolo Magno, & Ludovico Pio Leges Romanas (*a*), vetus tamen manfit in divortiis disciplina ad normam Legum Ecclesiasticarum, Africanorum Conciliorum, & Decretalium Pontificum, quibus omnis, exceptâ adulterii causâ, ad divortium aditus præcluditur. Ita vetus Francorum libertas in divortia ab Ecclesiasticis legibus repressa, nec à Romanis legibus promoveri quidquam potuit.

a Capitul. Caroli & Ludov. l. 1. c. 43. & l. 6. c. 63. & l. 7. c. 55.

Mancipiorum Christianorum conjugia olim in Gallia, quemadmodum & ubique alibi, maximè non requisito Dominorum consensu conciliata, eorumdem Dominorum arbitrio abrogabantur. Mancipium dum manumitteretur, fœminam in captivitate ductam dimittens, alteri copulabatur, quemadmodum par erat jus fœminis, quæ imprudentes servo nupsissent (*b*). Quamvis autem temporis successu conjugia servorum dissolvi Ecclesiasticis legibus prohiberentur (*c*), usus tamen in contrarium etiam post nonum sæculum invalebat.

b Concil. Vermer. c. 6. & 20.

c Caus. 29. q. 2.

In magna Britannia ea potissimùm loca, quæ Romanis legibus & ditioni parêrent, pristinas leges sequuta fuisse in divortiis, etiam post receptam Jesu Christi fidem, Seldenus autumavit (*d*). Laudat in eam rem veteres Leges Regis *Howvl-dhæ*, divortia maritis permittentes, si fortè uxorem deprehendissent liberius aliquid cum altero viro audentem; post divortia autem jus in novas nuptias asserunt. Verùm ex literis S. Gregorii Magni ad S. Augustinum Apostolum Angliæ (*e*), tum & legibus Regum Anglo Saxonum intelligimus, obtinuisse ex tunc apud Britannos leges, & disciplinam Romanorum, à qua deinceps nunquam recessum est.

d Uxor Hebr. l. 3.

e Regest. l. 12. Ep. 32. Vide & Bed. Hist. Angl. l. 2.

In Italia Theodoricus Rex veterem Saxonum Legem innovans [*f*], parem edicto Imperatoris Constantini supra laudato, morem invexit. Leges Visigotorum in Hispania divortiis iniquissimę erant (*g*): nec Rex Euricus mitior fuit, qui omnia simul, exceptâ adulterii causâ, prohibuit. Apud Burgundos nullum in divortia jus quacumque demum ex causa fœminis permissum; viris autem tantùm ex causis in Constitutione Constantini designatis (*h*), Allemannis constitutum erat, ut in repudiandis uxoribus *coram quinque Nominatis, & septem Advocatis* solemniter edicerent, eam fœminam repudiari, non quòd vitio aliquo aut defectu notaretur, sed quòd altera magis amaretur (*i*). Porrò hę leges sexto sæculo scriptę sunt; nempe ante receptam ab illis Gentibus Fidem.

f Cap. 54.

g Leg. Visig. l. 3. tit. 6. c. 1.

h Leg. Burgund. c. 34.

i Leg. Alleman. c. 53.

Synodus secunda Hiberna, can. 26. in potestate mariti relinquit, si post repudiatam priorem fœminam adulterii causâ, ad novas nuptias transire voluerit: *Si ducat alteram, velut post mortem prioris, non vetant.*

Porrò illarum gentium prona in divortium licentia ex literis Gregorii VII. ad Lanfrancum Archiepiscopum Cantuariensem, sicut etiam ex altera Lanfranci ad Goricum & Terdevraltum Regem Hibernię, ac tandem ex altera Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis ad Muriardacum Regem ejusdem Provincię nota est. Vitio enim populis illis vertunt pronam sicut ad socianda, ita & dissocianda conjugia consuetudinem; nec ętate nostrâ meliores sunt Hibernorum mores, juxta ac Cambdenus animadvertit (*k*).

k Cambd. Britan. pag. 764. & 791.